

Q. K. 238, 7.

X 2207794

Za  
4692

# Oratio

DE OBIT V  
DOCTISSIMI ET CE-  
LEBERRIMI VIRI, DOMI-  
NI IOACHIMI CAMERARII PABE-  
bergenfis, vtriusq; Linguae in Academia Li-  
pſica Professoris eximij, Praeceptoris noſtri  
communis, feliciter & ſanctè in Chriſto XV.

Calend. Maij defuncti, pietatis, obser-  
uantiae, & gratitudinis ergo  
habita in Academia  
Erphordensi

à

MATTHAEO DRESSERO.



L I P S I Æ

IOHANNES RHAMBA  
EXCVDEBAT  
Anno

CIO. IO. LXXIIII.

8 A.







Τὸ τριγωνῶν πατέρων ἄπο σῆμα κορωνῶν,  
 Τῶν Καμεραριαδῶν ἐστὶ Παβεργιέων.  
 Οὐ μὲν ἄγαν περίφημον, εἰς γνωστὸν δὲ πολίταις,  
 εἰς δευρηθείσας τρεῖς τρεῖς ἐτῶν γενεάς.  
 Ἰλασθὲ σὺ δὲ χεῖς ἴππ' λοιπὰ τιθεῖς, ὅσα γ' ἔσαι,  
 αἰὲν ἔχοις πιστὸν τόνδε δόμον πελάτῳ.

*Cornicum triquetra sunt hæc insignia forma,*  
*Est Camerariadum quæ nota prisca domus.*  
*Hic vbi adhuc Pabeperga suis stat nixa ruinis,*  
*Cæsareasq; agrè, quassa tuetur opes.*  
*Non turpis nota, non opibus quanquam inclyta, nouit*  
*Annis sed centum ter prope quam patria.*  
*At tu Christe voles quodcumq; adiungere tempus,*  
*Quæso clientelæ seruiat omne tuæ.*



MAGNIFICO  
VIRO DN. CHRISTOPHORO CAROLOVICIO,  
SACRÆ CÆS. MAIES. CONSILIARIO,  
suo Domino obseruantia  
summa colendo,  
S.



Arentaui Clarissimo, omniq̄ eruditio-  
ne politissimo Viro, literarum ac disci-  
plinarum nostrarum Coryphæo, IOA-  
CHIMO CAMERARIO in hac Er-  
furdensi Academia, oratione, si non  
gravi & erudita, at pia & sensus, dolo-  
resq̄ habente. Æquum enim esse arbi-  
tratus sum memoriam huius Viri, tam  
de studijs communibus meriti, tum no-  
stræ etiam Academiae cuius gratam & honestam retinere, nec  
committere, vt tantorum illius beneficiorum fama vlllo tem-  
pore apud nos intermoriatur. Hæc vero cum ad aliquem  
mittenda esset, cuius autoritate pariter commendari æquis  
lectoribus, & patrocinio defendi à maleuolis posset: tu eli-  
gendus ex omnibus es visus, excellentissime Vir, dotibus o-  
mnibus naturæ & fortunæ ad summum ornate & cumulate,  
cui dicare & consecrare deberem. Tuus enim animo & stu-  
dio fuit Camerarius, quoad vixit: Ad te bona magnaq̄ pars  
laudis, quam reliquit, pertinet. Non igitur repudiabis, cre-  
do, eum, qui ad te vel celebrationem memoriæ tanti viri, vel  
querelas de iactura, quam obitu eius nostræ fecerunt literæ,  
affert. Ego me in eorum numero locoq̄ esse profiteor, vel



potius glorior, qui Camerarium maximi fecerunt, nec minus, quam alterum parentem & obseruarunt & dilexerunt. Ille me vicissim vera beneuolentia & amore tanto persecutus est, vt necessitudine, fide, officijs coniunctissimi essemus. Quin studiorum meorum ipse autor & moderator multo maxima ex parte extitit: Et quia negligi à plerisque in dies pene singulos magis atque magis comperiebat has literas, quibus erudiri in scholis discentes maximopere necessarium est: auelli me à scholis non volebat, in quibus iam bonam partem ætatis meæ consumsiffem. Memini etiam delectari eum meo labore, quem in Ciceronis collatione cum vetustissimo, sumtuosoque codice manuscripto cuiusdam Erfurdensis bibliothecæ, aliisque quotquot conquiri à me poterant, susceperam: quippe qui & ipse aliquando suam operam in restituendo Cicerone præclare utiliterque nauasset. Sed quorsum hæc commemoratio? Quia ad te necessitudines huius viri proxime attingunt. Quocirca minus dubito, quin eum etiam carum habeas, qui communi tecum amore, pietate, & officio CAMERARIUM profequitur. Quod cum ita sit, in optimam certe partem accipies compellationem meam: Idque vt

facias, te oro, πρὸς τε Θεῶν, καὶ πρὸς μισῶν

Θεῶν ἐκγαγῶν. Vale. Data Er-

furdia v i. Idus Iunij

1574.

Matthæus Dresserus.



ORATIO  
DE IOACHIMO CAME-  
RARIO HABITA IN ACA-  
DEMIA ERPHORDIANA

à  
MATTH. DRESSERO.



*I* qua est in me pietas, quàm mihi  
omni ætatis meæ tempore confiteor cu-  
re magna fuisse: Aut si qua dicendi  
facultas, quam perexilem in me esse  
non inficior: Vtramq; rem decet me  
in deploranda grauissimi viri IO-  
ACHIMI CAMERARII  
morte declarare. Nam & priuata  
eius in me merita sunt tanta, ut si vi-  
tam meam me sanctis ipsius manibus debere dicam, nullam par-  
tem illorum assecutus videar: Et extant tot ingenij illius monu-  
menta, ut nulla sit regio, nulla ciuitas, nulla schola, nulla penè  
priuata domus, quæ non laborum ipsius fructus vberes, diutur-  
nosq; capiat. Quod si igitur bene meritis laus tribuenda, & de-  
bita gratia referenda est: Non sane video, cui officiosa meæ pie-  
tas, & vox hæc, quamuis inclinata, & mærore nimium inter-  
clusa, iustius seruire debeat, quam huic ipsi Camerario, à quo  
tot bona tam cumulate accepimus. Fateor autem ultro, & inge-  
nue, me de tanto viro dicere aggredientem onus ac munus susci-  
pere, quod neq; sustinere ingenio, neq; exequi dicendo possim:  
Facere tamen periculose malo, quam hoc sanctum gratitudinis  
officium



officium manibus praeceptoris nostri communis denegare. Ac  
ut de me dicam partius, multum interest huius scholae, memori-  
am gratam, & praedicationem huius viri extare. Nam &  
Graecas literas in hac Academia ante annos quinquaginta quinq;  
docuit, & tempore toto vitae suae adeo Academiam nostram di-  
lexit, ut & viros doctos, quibus familiariter, dum hic versatus  
est, usus fuerat, mirifice scriptis suis celebrarit, & mihi saepe, ne  
hanc contabescentem egestate, & squalore desererem, suator fuit.  
Sic igitur statuamus, bonam magnamq; partem luctus tristis, &  
acerbi, quem mors tanti viri peperit, ad nos quoq; pertinere, nisi  
prorsus ingrati aduersus tantum benefactorem esse velimus.  
Ego quidem ex innumeris, quae dici possunt, ea tantum excer-  
pam, quae nobis usui esse maxime videntur: Primum quanto stu-  
dio, atq; animi impetu, inde ab annis primis, usq; ad senectam  
ultimam in eas literas, quibus nihil est, neq; specie ornatus, neq;  
usu uberius, incubuerit: Deinde quantum utilitatis ad Ecclesi-  
am, atq; adeo vniuersam Rempublicam Christianam attulerit:  
Tum quam cladem, atq; interitum studiorum, ac disciplinarum  
in his regionibus mors eius portendat. De his igitur ut me bre-  
uiter, verecundeq; loquentem aequis animis attendatis, modis  
omnibus oro: Ab alijs vero, quibus plus est concessum ingenij,  
maiorq; dicendi vis, atq; copia suppetit, caetera, quae sunt am-  
plissima omnia de hoc viro expectantur. Est quoddam genus  
studiorum, quod Φιλολογία appellatur, & in colendis, perpo-  
sitiendisq; literis, & artibus bonis totum versatur. Hoc qui conse-  
catur, Φιλόλογος nominatur, qui est studiosus literarum, &  
artium ingenuarum. Complectitur autem hoc studium vni-  
uersam doctrinam literarum, utriusq; linguae latinae & Graecae  
tantam, quantam mens humana studio & industria assequi po-  
test. Artificem in hoc genere fuisse Adrianum imperatorem  
accepi-



accepimus, in quem tale extat elogium apud Dionem: Φύσει Φι-  
λολόγος ἦν ἐν ἑκατέρῃ τῇ γλώσῃ, καὶ τινὰ πεζὰ, καὶ ἐν ἔπεσι  
ποιήματα παντοδαπὰ καταλέλοιπε: *Natura amans erat li-  
terarum utriusq; linguae, & multa scripta, partim soluta ora-  
tione, partim carmine composita, reliquit. Hoc eodem modo de  
nostro CAMERARIO predicare omni iure possumus.*  
*Fuit enim à teneris, ut Græci dicunt, unguiculis, penitus huic  
studio deditus, quod artium omnium, & disciplinarum funda-  
menta peruestigat, & splendorem, firmamentumq; illis conci-  
liat. Nihil uspiam est scriptorum Latinorum, aut Græcorum,  
nihil habent Oratores, nihil Poëtae, nihil Theologi Græci, nihil  
Latini, quod ille non accuratè, cogitatèq; euoluerit, perspexerit  
& enodarit. Nihil est in omni genere doctrinae eruditæ tam  
abstrusum, tam reconditum, tamq; obscurum, quod ille non di-  
ligenti meditatione eruerit, aut sua explicatione illustrarit.*  
*Neg; ad tempus operam huic studio dedit: Sed usq; immoratus  
est, nec quod primis ætatis annis delegerat, in senectute summa  
deseruit. Non eum vigiliæ, non labores, non contentiones, non  
difficultates ullæ fregerunt, aut deterruerunt. Quin eadem,  
quæ iuuenis perceperat, ætate senili docebat, nisi quod ætatis, iu-  
dicijg; maturitas alium quasi habitum, atq; colorem orationi eius  
conciliarit. Mirum fuit eius studium, incredibilis industria,  
rara legendi, & scribendi solertia, & assiduitas: Constantia ve-  
ro in suscepto vitæ, atq; studiorum cursu tanta, ut ab eo nullis il-  
lecebris, nullisq; honoribus, aut commodis proprijs, quantumuis  
spes eorum magna ostenderetur, dimoueri sese passus sit. Inuita-  
batur enim sæpenumero ad ea officiorum munera, quæ & auto-  
ritatis pondere, & emolumentorum copia scholasticam militiam  
longe superabant. Verum is tamen philosophico plane animo has  
non quidem corruptelarum, sed honorum illecebras repudiabat,  
& spar-*



& Spartam suam, quamuis in umbra delitescentem, nullis opibus, nullo splendore hominum perstringentem oculos unice ornare, sancta faciendo, & utilia docendo, scribendoq; pergebat. Est hoc exemplum rarum, & præclarum, ita contemnere posse ea, ad quæ totus mundus, tanto rapitur impetu, ut ad illa consequenda omnes suos conatus à primis vsq; annis unice referat. Quotus enim quisq; est, qui non eum sibi studiorum finem statuerit, ut per ea honores, autoritatem, & diuitias adipiscatur? Immo tanta est in plerisq; harum rerum cupiditas, & ardor, ut citius hos, quos sibi proposuerunt studiorum fructus appetant, quam probè quicquam, aut solidè in discendis literis profecerint. Quò certè maior est huius viri laus, maiorq; admiratio, qui ex infinitis penè vnus est inuentus, qui in his studijs colendis ita vixerit, ut eum neq; spes commodorum, neq; honoris nitor abstraxerit, neq; voluptas auocarit, nec deniq; somnus retardarit. Facerem haud absurdè, si requiem nullam, neq; animi, neq; corporis concessam, atq; relictam illi dicerem, propter incredibile illud studium, quod euoluendis, scribendisq; tot, tantaq; cura, ac meditatione libris tribuit. Sed par fortasse studium in paucis illis, & præclaris Philosophis fuit, Aristotele, quem ἀναγνώστην eo nomine appellauit Plato: Demosthene, qui plus olei, quàm vini consumsisse perhibetur: Nec minus etiam curæ, atq; diligentie in D. Philippo fuit, & aliquanto plus etiam, nisi quid me fallit, naturæ ad perpolienda hæc studia, quibus operam tantam nauauit CAMERARIUS, nisi alia negotia, & occupationes illum abstraxissent, Ecclesiastica scilicet, quæ ad eum tenuerunt districtum, ut vix respirare, & interuallo interdum longo regustare has literas ei licuerit. Huic igitur nostro pene soli admirando Dei beneficio atq; concessu tributum est, ut in hoc seculo literas illustraret, & omni cura, cogitationeq; in id incumberet, ut ge-  
nus



mus sermonis in autoribus Graecis & Latinis sic declararet, ut fructum ingentem Ecclesiae, & Scholae inde perciperent. Hoc beneficium Dei, non solum magni est faciendum, sed exemplum ipsum etiam sic intueri debemus, ut admiratione eius incendamur ad similis diligentiae, & industriae curam, atque imitationem. Sic enim habete studiosi optimi, ducem esse gregis Scholastici egregium καὶ ἀξιόλογον hunc nostrum Camerarium, à quo etiam exempla studij, & industriae eximia sumere conueniat. Etsi enim non omnibus conceditur in his studijs aetatem consumere, quod huic nostro Coryphaeo, καὶ δαδέρχῃ contigit: omnibus tamen par diligentia in cultu bonarum artium, atque disciplinarum necessaria est. Id quod praeepto Hesiodico docemur, cui haec addita est clausula: ἀγαθὴ δ' ἐγὼ, ἥδε Ἐφοροῖσι. Oportet enim utique initium doctrinae omnis liberalis, atque salutaris ab his literis fieri, quae disciplinarum omnium fontes continent, & subsidia necessaria ceteris artibus afferunt. His nisi instructus satis ad superiores disciplinas accedas, aut nihil, aut parum proficies. Sed ad ducem nostri Chori reuertor, qui & exemplum est industriae in legendis, discendis, & perpoliendis literis, & artibus ingenuis, & monumenta ingenij, & diligentiae suae tot nobis post se reliquit, ut scriptis & commentationibus ipsius non minus, quam voce uiua omnis posteritas eruditior sit euasura. Nisi forte (quod omen tamen Deus clementissimus procul auertat) ea secutura sunt tempora, & ij mores futuri, ut nihil loci bonis artibus, aut disciplinis sit reliquum: Aut ingratitude tanta hominum animos occupatura est, ut nihil tam erudite, utiliterque scriptum ab antecessoribus reperiatur, quod non dente liuido morosi scioli arrodant, temeritate conuellant, ambitione in odium adducant, & ita extenuent, aut cauillentur quasi nihil ad Ecclesiae doctrinam, vel ad alias doctrinas intelligendas, explicandasque faciat,

B

vel



vel his potius officiat. Id quod de Camerarij οικείῃ Φίλῃ, καὶ συμ-  
Φιλοσόφου Philippi Melanchthonis scriptis multi facere haec-  
tenus conati sunt, & adhuc facere in animo habent, quibus tamen  
nihil melius, nihil disertius, nihil utilius hic Sol magnus hoc  
nostro seculo editum vidit. Verum de talibus fucis dico parcius,  
ne crabrones, quod aiunt, irritem. Vos tantum, studiosi aman-  
tissimi cohortor & oro, ut Scripta horum duorum Luminum  
Germaniae magnificatiis, et sedulo, accurateq; legatis: Reperietis,  
mihi credite, thesaurum eruditionis verae, non ambitiosae, non  
fucatae, non contentiosae, tantum, quantum vix in ullis alijs au-  
toribus licet inuenire. Hos scitote esse Apes Atticas, ex his mel  
salubre petite, & doctrinam nativam, & utilem sumite. Fucos  
verò animo magno, & celso contemnite, quorum iudicia non vi-  
tiosae nuci adequanda sunt. Quid enim habent, quod ostentent,  
aut quo glorientur? legerunt aliqua. CAMERARIUS verò  
noster euoluit, & scrutatus est omnia. Scribunt libros, at quo-  
modo? verbis quomodocunq; consutis, barbaris, sordidis, sine  
delectu, sine discrimine coaceruatis. Hic verò noster oratione uti-  
tur pura, & antiquitatem redolente. Docent illi sic, ut aures  
compleant sonitu, & animos feriant plausibilitate. At hic no-  
ster simpliciter, planeq; verborum, rerumq; momenta explicat,  
& digitum semper ad fontes intendit. Ut autem simplex verita-  
tis sermo fucata omnia, quantumuis maximè splendentia, &  
turgentia facile vincit: Ita nolite dubitare, Studiosi Deo & Mu-  
sis cari, quin Domini Camerarij doctrina, quam partim viva  
voce tradidit, partim literis prodidit omnium sciorum spectiosae  
scientiae, atq; loquentiae longe praefenda sit. Sed satis fortasse  
multa de Camerarij studijs, vel plura etiam, quam patitur in-  
stituta breuitas, quibus hoc unum si adiunxero, abundè me di-  
xisse putabo: Tot Scripta nostrum Camerarium euoluisse, tantos  
labores



labores, curas, vigiliis, lucubrationes sustinuisse, quot, & quantas nemo nostrum ne tacitus quidem ausit optare, nedum perferre & exhaurire. Quid verò putemus? ipsine Camerario nostro soli, aut nonnullis tantum eius tam præclari, tamq̃ admirabiles profuerunt labores? Hic quorsum quidq̃ pertineat, queso diligenter attendite; efficiam profecto, ut intelligatis, thesaurum eruditionis saluberrimæ, & nunquam intermoritura ab hoc viro Scholis, Ecclesiæ, & toti adeò Republicæ Christianæ partum atq̃ relictum esse. Ea est enim animi ingenuis artibus atq̃ disciplinis exculti natura, atq̃ vis, ut seipso contentus non sit, sed largè, liberaliterq̃ cum plurimis sua communicare gestiât, communemq̃ fructũ suum honorẽ, commodumq̃ ducat. Id quod Græca etiam nos facere iubet sententia: *ἤ μὴ μὲν θεράποντας ἔφθονεργὸς τελέθειν, ἀλλὰ τὰ μὲν μῶδῳ, τὰ δὲ δεικνύσαι.* Sic igitur Camerarius noster studia sua instituit, atq̃ moderatus est, ut altera quasi manu plurima comprehenderet, ac conquireret, altera verò ad usum communem, quæ legerat, & meditatus erat, conferret. Nihil est, quod ille magno labore partum, non benignè nobis, & posteris omnibus impertitus sit. Testes sunt tot ingenij monumenta, tot libri editi, tot erudita scripta, quæ post se reliquit, tot item consilia salutaria studiorum & actionum, quæ ex doctissimo, & sanctissimo illius pectore, velut ex fonte sacro manarunt. Habemus Grammaticæ Libellum in utraq̃ lingua à D. Philippo conscriptum, à Camerario verò elaboratum, & numeris penè omnibus absolutum. Hic Orthographiam expoliuit, & ad antiquitatis castæ, puræq̃ consuetudinem reuocauit. Ab hoc quantum referat, quibus quæq̃ dictio literis rectè scribatur didicimus: quippe qui omnes etiam apices accuratè obseruandos in scribendo monet. Hic non momenta tantum, & pondera, verumq̃ sermonis usum in autoribus latinis nobis

B 2 monstra-



monstravit, sed nativam faciem antiquae et integrae linguae Romanae ostendit. Ab hoc Plautum à mendis repurgatum, et scholijs illustratum accepimus. Huic magnam partem restituti Ciceronis acceptam ferimus, per hunc aditus ad intelligendum Herodotum, & Thucydidem nobis patefactus est. Huius auspicio & ductu Homeri, & Sophoclis verba, phrasae, Dialectos, figuras, involucria, somnia, artificium, et dogmata penè omnia cognoscimus. Huius opera & beneficio multos Autores latinè legimus, quos nisi Graecè eruditus antea intelligere potuit nemo. Huius industria multi utilissimi Autores partim in lucem è tenebris prolati sunt, partim à mendis vindicati. Quare ex illius laboribus sempiternum fructum perceptura est omnis posteritas in Scholis & Academijs, quae liberalia studia & artes bonas fouent atq; propagant. Iccircò etiam memoria huius viri nunquam abolebitur, neq; conticescet laus eius, quàm diu superstites erunt literae, & stabunt Scholae. Non puer, non adolescens, non discipulus, non docens erit, qui non hoc duce, atq; praeceptore sentiat se in percipienda, aut tradenda doctrina plurimum iuvari. Neq; verò Scholae tantum, sed ipsa etiam Ecclesia Christiana fructum studiorum, atq; scriptorum Camerarij uberem, diuturnumq; perceptura est. Extant enim illius interpretationes luculentae complurium orationum sanctorum in Ecclesia Graeca Patrum, extat Historia Ecclesiastica Theodoretii ab hoc in sermonem latinum conuersa. In medio est Chronologia Nicephori ab ipso versa, & edita cum appendicibus totam ferè *ἡρονικὴν περὶ γυμνασίου* complectentibus, atq; illustrantibus. Sed omnes eius lucubrationes, quantumuis praeclarissimas superat, & utilitatis magnitudine, & laboris diligentia opus illud eximium, in quo figuras sermonis, verborumq; significationes, & sententiam orationis in libris noui Testamenti exposuit. In eo enim omnem verborum usum, & rerum ipsarum pondera

ex



ex verbis rectè collatis, atq; intellectis petita, sic explicare studuit, ut Christum & Apostolos ipsos interpretari sermonem suum nobis rudioribus voce uina optaremus. Hinc discimus, quæ verba propriè, quæ figuratè intelligi à nobis diuini illi autores velint, ubi more, exemploq; Græcorum Demosthenis, Herodoti, Sophoclis, & aliorum loquantur, ubi verò contra consuetudinem illorum phrasas Propheticas, & ἑκαίγιστας usurpent atque inculcent Ecclesie discipulis. Hanc curam atq; animaduersionem in libris Euangelicis & Apostolicis, si quis tanquam infrugiferam, aut non admodum necessariam, opinione vel verbis extenuat, nihil is de intelligentia aut interpretatione sacrarum literarum tenere iudicandus est. Oportet enim de rerum sententia & veritate non aliunde, nisi ex verbis ipsis rectè ponderatis, & inter se collatis, iudicium fieri. Nec certus esse de sententia quisquam potest, neq; dogma propugnare, qui vim verborum, sermonisq; naturam & usum ignorat. Vera est enim, & omnium temporum atq; doctorum testimonio comprobata vox, quæ affirmat: τὸς μὴ μανθάνοντας ὀρθῶς ἀκρίβειν ὀνομάτων, κακῶς χεῖρα ἀκρῆν τοῖς πράγμασι, eos qui non tenent rerum vocabula aberrare in rerum scientia & usu. Et Aristotelis dignissimum est memoria dictum, de his qui vocum vim ignorant, quod perinde decipiantur, siue differant ipsi, siue alios audiant, ut falluntur in computando imperiti Arithmetices. Utinam igitur persuaderi hoc discantibus posset, ut sensum Concionum Christi & Apostolorum ex his fontibus hauriendum esse ducerent. Ita profectò fieret, ut in uno verbo Christi, aut Pauli plus ponderis situm esse intelligerent, quàm in commentatione proluxa, quæ ab his fontibus aberrat. Cum igitur hos fontes veræ cognitionis verborum Christi & Apostolorum nobis aperuerit Camerarius noster, quæ laus, quæ gratia par tanto beneficio inueniri potest? Nequeo ver-



bis exprimere, quod sentio, neque fidem etiam merebitur fortassis oratio mea: attamen hoc nihil dubitans confirmo, plus esse vere eruditionis atque lucis in hoc Camerarij nostri Commentario, quam in multorum verbosis & speciosis expositionibus. Quid dicam de Catechesi? quam sermone Græco sic exaravit, ut & rerum & verborum bonitate omnes in hoc genere conscriptos libellos, post paruum illum & aureum Catechismum, quem D. Lutherus edidit, superet. Res profecto tanta luce, tamque commoda breuitate exposuit, nihil ut dici aptius, nihilque eruditius possit, dictionis vero Characterè tali usus est, ut admirationi etiam Græcis ipsis esse possit. Eadem dialecto etiam contra hostes religionis nostræ pugnavit, ac Latomi impiam assertionem de Sanctorum inuocatione ita oppugnauit, ut facile se victum ille sentiret. Cum vero Antonius Eparchus Corcyreus Vir doctrina cælesti & humana omni politissimus, natione Græcus, ad Philippum literas Venetijs misisset, eumque hortaretur ad componenda Ecclesiæ & Reipubl. Germanicæ dissidia, Camerarius absente & contante Philippo in Urbis, capita quedam eruditæ & piæ disputationis & responsionis sermone Græco conscripsit, adeo disertè, ut vix inter ipsum Germanum & Antonium Græcum discrimen agnoscas. Res miranda est, hunc hominem tantum in literis Græcis consecutum esse, ut cum quibusuis Græcis doctissimis comparari iure omni possit. De hoc quod fuerit D. Philippi iudicium, vel ex Epistola quadam cognosci potest, qua sic scribit ad nostrum Camerarium Philippus: Hoc verè affirmare possim, cum ab Atticis discessi, nullius orationem mihi magis, quam tuam placere. Credoque adeo, quemuis mediocri saltem peritia linguæ græcæ, & iudicio præditum fateri, cum antiquitate sapiente & erudita Camerarium certare. Quæ laus sanè Viri, atque adeo totius Germaniæ longè præclarissima est, vnum sic excellere Græcarum  
literarum



literarum peritia, ut Græcorum artifices attingat & adæquet.  
Ac cum de Philosopho tam eximio in cœtu Philosophico verba  
faciam, æquum est etiam de moribus eius nonnihil huic orati-  
oni aspergere. Peruulgata est enim, & nemini ignota Ciceronis  
querela: Quotus quisq; Philosophorum inuenitur, qui ita sit mo-  
ratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat: Qui dis-  
ciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed legem vite pu-  
tet: quiq; obtemperet ipse sibi, & decretis suis pareat? Videre li-  
cet alios tanta leuitate, & iactatione, ijs ut fuerit non didicisse  
melius: Alios pecunia cupidos, gloriæ nonnullos, multos libi-  
dinum seruos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio.  
Quo igitur pauciores inuenti sunt omnibus ætatibus, qui ita vi-  
xerint, ut alios docuerunt ipsi, & ut Nazianzeni utar verbis:  
Ὅς ἐὶ τὸ ἐστὶν ὁ λόγος, eo admirabilior est Camerarij nostri vir-  
tus, qui cum doctrina & professione vitam omnem adæquauit.  
Fuit enim in eo tanta in omni conuersatione, consultatione, &  
actione moderatio, ut si quisquam est, qui ἡθικὸς verè appellari  
possit, is noster Camerarius sit: Apud magnos sese summissum,  
apud minores verò æqualem sese præbuit, & haberi etiam se vo-  
luit: erga omnes beneuolum atq; liberalem sese præstitit: ope-  
ram nemini suam denegabat, sed iuuare omnes, si fieri posset, re,  
consilio, opera cupiebat. Gratiam verò & auctoritatem, qua mul-  
tos alios antequam poterat, nunquam neq; ostentabat, neq; de se po-  
licebatur. Fœdus coniunctionis & amicitie semel factum, sanctè  
inuiolateq; seruabat: quem complexus erat, eum sic volebat se-  
cum viuere, & agere ut parem. Delectabatur autem eorum  
coniunctione maximè, quæ uel studiorum socios, uel à Musis  
non auersos esse intelligebat. Ingenuitatem amabat, ambitio-  
nem, simulationem, & fucum omnem oderat, sincerus ipse, &  
apertus erga omnes. Consilia dabat non insidiosa, sed συμβου-  
σια

512



sinā, ad eum finē directa, ut concordia et tranquillitas aleretur,  
distractæ verò voluntates consociarentur. Fuit enim mirificè stu-  
diosus pacis, & artifex conciliationis. Cumq̃ videret illam apud  
Maronem scissa gaudentem palla plus satis infestam esse Scholis  
presertim & Academijs: quos poterat hortabatur, ut ferre,  
dissimulare, & quasi musitare aliqua mallent, quam distracti-  
onis, aut dissipationis causam aliquam præbere. Memini eum  
idem consilium ad me etiam perscribere, tum cum dissensionem  
aliquam incidisse in hac Academia auditione accepisset, suum  
ipsius adducentem exemplum, quod & ipse plurima solitus esset  
dissimulare tranquillitatis causa. Hanc virtutem in isto Viro si  
quis aut parui facit, aut reprehendendam ducit, vehementer er-  
rat. Etsi non ignoro esse multos, quibus pro moderatione rigor  
placet, & pro philosophica lenitate, Stoica asperitas probatur.  
Itaq̃ hoc studium conciliandæ pacis, & concordie indignum vi-  
ro magno & docto, presertim in Ecclesia iudicant. Sed hi errore  
opinionis suæ intolerabili falluntur. Non enim moderatio, non  
lenitas, non remissio animi, non æqua cessio, sed religionis, &  
conscientiæ violatio vituperatur. Scimus quantum moderatis  
consilijs profecerit D. Philippus. Quantum verò boni attule-  
rint nostri Camerarij consilia temperatissima, si nunc parum in-  
telligimus, at post cognoscere nostro malo cogemur. Beatos præ-  
dicat ipse Filius Dei εἰρηνοποιεῖς, id est, pacis, & compositionis au-  
tores: Et iubet Paulus ad Colossenses scribens, Christianos συμ-  
βίβαθε ἑνταῦθα ἐν ἀγάπῃ compactos caritate esse, in omnes occasi-  
ones intentos, quibus vera animorum coniunctio in dilectione  
seruetur, eaq̃ amissa, vel dissipata redintegretur. Magister &  
artifex huius præclarissimæ virtutis extitit hic noster Camera-  
rius, quoad ei usura huius lucis frui licuit. Nunc verò tanto mo-  
deratore studiorum & consiliorum orbati, quo gemitu, quibus  
lacrimis



lacrimis, calamitatem nostram deplorabimus? quo pacto iacturam,  
aut damnum tantum resarciemus? Causa profecto multa, & graues  
luctus, ac squaloris concurrunt. Iactura ipsa quanta sit, perspicitis:  
ereptus est nobis Chori nostri dux, & studiorum moderator, orbati  
sumus patre, & communi praeceptore, quem & admiranda eruditio,  
& singularis integritas vitae, et moderatio prope diuina nobis sic com-  
mendarat, ut certatim à nobis diligi, audiri, & coli debuerit. Quod si  
igitur haec, cum adsunt, ampla esse ducimus, ut reuera sunt, ijs nunc  
amissis, iacturam nos ingentem fecisse profecto fateri necesse est. Quae  
tamen ipsa minoris estimari posset, si spes resarciendi aliqua superes-  
set. Vt enim cum frigore Vites leduntur veris initio, aut medio etiam  
tempore, spes est mox alias gemmas enascituras esse: Cum verò in au-  
tumno calamitatem vinea accipit, spes fructus omnis praeciditur: Ita  
cum superioribus annis viri eruditi è vita discesserunt, leuari damnum  
illud potuit superstitionibus, vel certè succedentibus alijs, qui mortuis pa-  
res ingenio, doctrina, & industria esse potuerunt. At nunc in ista  
effœta seculi huius ætate, cum ruinam atq; interitum literæ atq; disci-  
pline minantur, quæ spes, quod solatium nobis est reliquum? Audite  
quæso atq; obsecro vos querelam, uel vaticinium potius ipsius Came-  
rarij, quod perscripsit ad me epistola quadam ante paucos annos, cum  
in mentionem iucundam incidisset eorum, quibus cum aliquando in  
hac Academia coniunctè, familiariterq; vixerat. Sic inter alia ha-  
bet Epistola illa è greco conuersa: Ac beatas iudico, & vrbes, quæ  
talium virorum præstantia cohonestatæ sunt, & tempus quod tantum  
bonum in lucem protulit. Quemadmodum & deploro non ipsos qui-  
dem nunc ex gloriosa vita ad vitam beatam translatos, sed quos reli-  
querunt post se destitutos doctissima cura, qua meliores hi, qui ute-  
bantur, fiebant: præsertim cum apud paucos deinceps velut apud ar-  
borem folijs & fructibus destitutam societas aliqua bona, ex benigni-  
tate Dei adornet germina noua ad spem similis in posterum victus,  
atq; fruitionis honestorum & festiuorum sermonum & morum. Ar-  
bori comparat hanc ætatem folijs, fructuq; nudata, ut in autumno  
fieri



fieri videmus, cum iam fruges omnes decerptæ hiemem sterilem por-  
tendant. Neq; profectò iniuria. Quales enim amittimus, tales nul-  
los recuperamus, ut sterilefcere nunc literæ prorsus videantur, sub-  
latis viris illis, qui præsidio & ornamento illis erant. Longinqua ni-  
hil attinet recensere, videamus propinqua. Fuit eo tempore, quo hîc  
literas didicit & docuit Camerarius dulcissimus doctorum conuictus,  
& habuit hæc Schola doctores, & magistros cum eruditione, tum hu-  
manitate, moderatione, & candore præstantes. Sed nunc quotus  
quisq; reperitur, qui doctrinam eruditam curet, aut congressibus,  
colloquijsq; philosophicis delectetur? An non iacent studia? friget  
gymnasium? spernuntur literæ, & infida est omnis penè societas atq;  
collocutio? Hæc quid, nisi certissima argumenta, atq; indicia sunt  
sterilis καὶ ἀμύστος ætatis? Ex quo sanè venit in mentem vereri sepi-  
us, ne opinione nostra citius re, euentuq; comprobetur Domini Came-  
rarij diuinitio, quam non ita pridem ad me perscripsit: fore paulo  
post, ut magis etiam istæ merces vilescant, hoc est, minoris adhuc li-  
teræ nostræ fiant, & unusquisq; ad τέχνην τι, quod faciat, perdiscen-  
dum, properet. Quæ autem causa est tantæ labis huius seculi, & o-  
mnium consequentium fortasse, nisi Deus prouiderit, vel celeri ad-  
uentu Filij sui attenuatum, & undiq; accisum mundi filum abrupe-  
rit? Difficile est iudicare, utrum hominum id culpa, an fato acci-  
dat: Sed tamen utrumq; in causa esse nihil dubitans affirmarim. Etsi  
enim fato literæ, quæ suo floruerunt tempore, nunc magno motu ad  
occasum declinant, & ruunt suum: Tamen ἡμεῖς ποῶν etiam cla-  
dem vltro nobis sceleribus proprijs accersimus, ἡμέτερον κακὸν ἀμφά-  
γα πῶντες secundum Hesiodum. Quid enim loci relinquimus sapi-  
entiæ? quem honorem habemus eruditioni? quis non fastu, ambitio-  
ne, arrogantia, loquacitate, opibus, gratia, omnem hodie metitur  
eruditionem? quis magnifit, nisi superba inscitia tumens, & Sinonij  
artibus oculos hominum perstringens? Cum igitur vitia ipsi eliga-  
mus, & vera bona fastidiamus, quid mirum est, si mala omnia,  
extinctis bonis, reliqua habeamus? sed ommissa quamuis iusta querela  
in acerbo dolore ad Camerarium redeo. Is ita à nobis discessit, ut  
suisi-



sui similem post se non reliquerit, nec spes etiam ulla sit, similem habiturum esse hoc seculum. Quis enim eorum, qui nunc uiuunt, tot laboribus sese frangat, tot vigilijs maceret, tantum cura & opera in discendis et illustrandis bonis literis ponat, cum fructus gloria, aut merces nulla expectari ab hoc seculo possit? quod si in tale tempus prima aetas Camerarij incidisset, quale nunc est, fortasse nec ipse cursum studiorum istorum tenuisset. Sed habuit ille tunc studiorum suorum autores praecclaros, et premia maiora eruditibus tribui vidit. Erat etiam illo tempore incitata plurimorum cupiditas cognoscendarum renascentium literarum, quae nunc restincta est, & euauit penè tota. Iccirco minus etiam spei de doctorum virorum copia superest. Itaque cum Camerarij obitu iacturam tantam honestae fecerint disciplinae atque literae, ut resarciri nequeat: grauissime nos hoc casu moerere conuenit: non aliter ac si Musas ipsas extinctas esse audiremus. Neque tam communem deploremus casum, quam priuatum damnum, quod fecimus amisso ciuie Academiae nostrae tam celebri, tamque nostri amante, & studioso. Est enim hic adscriptus anno decimo septimo, cum Lipsia huc profectus esset Bacularij gradu ornatus: & receptus est à communitate philosophica, cum fidem iureiurando astrinxisset, & aureum dedisset, quem tamen mox illi communitas nostra reddidit, quod elementa literarum Graecarum in Collegio docuisset. Deinde vicesimo primo anno cum septendecim uiris Magisterij titulum in hoc Collegio adeptus est. Cuius beneficij memor per omnem vitam Academiam nostram amauit & coluit, neque etiam ad eam colendam sedulo, fideliterque hortatus est. Si qua igitur ciui bono, literato, fido, & constanti beneuolentia, si qua gratia, si quis honos debetur, ea nunc uniuersa in morte Camerarij nostri exhibere affatim nos decet. Quod si per fata liceret, te, Ioachime, uiuum complecti, et omnibus humanitatis, gratitudinisque officijs prosequi, nihil nobis ista in te pietate incundius et promptius esset. Verum cum hoc denegatum sit, illud, quod datur, quodque licet, prestare volumus, & te mortuum, ut Ciuem, ut patrem, ut preceptorem amabimus, colemus, & gemitibus, suspirijs, lacrimis, & desiderio perpetuo requiremus, Vale.

DIXI.



La 4692 PK

Faint, mostly illegible Latin text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be a formal document or letter, possibly related to a university or library, given the context of the image.

DIZI

CM





Za  
4692

2207794

atio

B I T V

M I E T C E

V I R I , D O M I

A M E R A R I I . P A B E

nguae in Academia Li-

nij, Praeceptoris nostri

sanctè in Christo X V.

ncti, pietatis, obser-

titudinis ergo

Academia

ordenfi

a

DRESSERO.



S I Æ

R H A M B A

E B A T

ano

L X X I I I I .

B.I.G.

Farbkarte #13

Inches  
Centimetres

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue